



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 6. Alia oratio cujusdam Religiosi Dominicani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI. „nemo de his articulis controversiam
 A. C. 1562. „movit, testesque sunt Liturgiæ D. Jaco-
 „bi, D. Marci, Basili, & Chrysoftomi.
 „Insuper ea, quæ Protestantes objiciunt,
 „satis, superque quidem refutata sunt,
 „sed ad eorum vanitatem coarguendam
 „hoc unum sufficeret, quod ab homini-
 „bus proficiscantur ab Ecclesiæ com-
 „munionem segregatis.„ His præmissis
 Legatos hortabatur, ne in quacunque
 materia patiantur hæreticorum argu-
 menta in medium proferri, nisi simul
 manifestissima eorundem confutatio sub-
 jiciatur, cum vera pietas flagitaret,
 ut rationes cum Ecclesiæ doctrina pu-
 gnantes non proferantur, nisi præpara-
 tis antea auditorum animis, atque ex-
 posita perversitate, ac ignorantia No-
 vatorum, quorum rationibus nemo fe-
 re aures præbet, nisi qui cerebro la-
 borat.

Hæc oratio a majori parte Præsu-
 lum benignis fuit auribus accepta, &
 laudata tanquam pia, & apprime ca-
 tholica.

§. VI.

*Alia oratio cujusdam Religiosi
 Dominicani.*

Inter Theologos, qui circa sex hosce
 articulos differebant, haud infimus
 erat Antonius Grosuptus Viglebanensis
 Episco-

Episcopi Theologus, qui hunc in mo-
 dum perorabat: „Ex Ecclesiae historia
 „clarum exstat, quod singulae Ecclesiae
 „antiquitus habuerint peculiarem suum
 „Missae ritum, qui consuetudine magis
 „de die in diem, quam iudicio, aut
 „decreto quodam introductus erat: mi-
 „nores autem Ecclesiae, sese ad metro-
 „politanas, aut vicinas majores confor-
 „mabant: porro Ecclesiae Romanae ri-
 „tus in multis provinciis, ut Romano
 „Pontifici gratificarentur, recipiebantur:
 „permultae tamen adhuc supersunt Ec-
 „clesiae, quarum ritus a Romanis lon-
 „gissime discedunt: exstat enim Moz-
 „arabicus, juxta quem adhuc hodie
 „in quodam Cathedralis Ecclesiae To-
 „letanae sacello Missa singulis diebus
 „Dominicis celebratur: praeterea adhuc
 „permanet in Italia ritus Mediolanen-
 „sis, in praecipuis suis partibus a Ro-
 „mano discrepans, imo hic ipse Roma-
 „nus insignes passim mutationes cuius
 „obvias, antiquum librum legenti, qui
 „inscribitur *Ordo Romanus*, subiit: ne-
 „que enim priscis modo temporibus,
 „sed paucis retro saeculis, certe ante an-
 „nos trecentos, verus ritus Romanus
 „non idem fuit cum eo, quem in Civi-
 „tate Romana Sacerdotes nunc servant,
 „porro notabilis differentia inter ritum
 „tunc Romae usitatum, & eum, qui de-
 „scribi-

Saecul. XVI.
 A.C. 1562.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

„scribitur in libro, cui nomen *Ordo Re-*
 „*manus*, præsertim conficit in eo, quod
 „in hoc Laicis communicatio sub utraque
 „specie permittatur, hinc id ipsum hæc
 „tempestate, ut Patres concedant, hor-
 „tor. „ Ceterum cum hæc oratio ad-
 stantes offendisset, Episcopus Quin-
 queecclesiensis suscepto illius patrocinio
 affirmabat, quod hic Theologus neque
 falsi quicquam protulisset, neque offen-
 sionis, aut scandali causam dedisset. qui
 non ad populum, aut apud idiotas
 verba fecisset, sed in corona erudito-
 rum, apud quos veritas odium concilia-
 re non potest, quare illi qui hunc Docto-
 rem tanquam scandalosum, ac temera-
 rium damnare auderent, semetipsos tan-
 quam veritatis minus capaces prius da-
 mnare viderentur.

§. VII.

Præsules pro conficiendis decretis de-
signati hac super re consul-
tantes.

Postquam Theologi hac in re suas quis-
 que sententias aperuerant, illorum
 quoque Præsulum, quibus decreta con-
 ficiendi cura erat demandata, iudicium
 desuper excipiebatur, atque inter eos
 Martinus Perezus Ayala Episcopus, qui
 omnibus conventibus circa Missæ Sa-
 crifi-